

analogiam fidei, seu, connexionem inter fidei veritates, etc...

c) Praecipua autem regula est iudicium Ecclesiae, ac sensus apud Patres unanimiter receptus.

## DISSERTATIO SECUNDA

### DE DIVINA TRADITIONE

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 318... 341. — Franzelin : *De div. Trad.* sect. 1, cap. 1, p. 11... 56.)

23. Non sola Scriptura, sed aliis etiam viis extra Scripturam Verbum divinum conservatur et transmittitur; illae autem viae constituunt illud quod nomine appellatur Traditionis. Hinc de secundo hoc loco theologico tractandum erit.

Porro, de Traditione tria veniunt inquirenda, nempe : 1° in quo consistat, et quae sit ejus auctoritas; 2° quae sint illae viae quibus verbum divinum extra Scripturam traditur; prout ad duplicem classem referuntur, scilicet : earum quae continent authenticam doctrinae catholicae formulam, seu expressionem, et earum quae constant testimoniis ex quibus doctrina Ecclesiae legitime concluditur; 3° demum, quisnam sit legitimus Traditionis usus in disquisitionibus theologicis.

Haec tria absolventur ope sex quaestionum sequentium.

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quid sit Traditio in genere, et quotuplex distinguatur?

24. *Resp.* Definiri non potest Traditio in genere, nisi prius determinetur sensus quo sumitur. Porro sumitur, aut sensu objectivo, aut sensu activo, aut sensu complexo ex utroque.

Sensu *objectivo*, Traditio est res ipsa quae traditur, id est : quaelibet doctrina vel institutio a majoribus accepta, atque ad posteros, sive scripto, sive voce, sive praxi transmissa.

Sensu *activo*, Traditio est actus ipse, seu potius, tota series et complexus actuum ac mediorum, quibus doctrina aut institutio ad nos usque propagata et tradita est.

Sensu *complexo*, est Traditio sumpta simul objective et active. Sic, quando dico : *Traditio est Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere*, sensus est objectivus; quando dico : *Traditio est via tuta transmittendi veritates revelatas*, sensus est activus; quando dico : *Traditione scimus parvulos esse baptizandos*, sumitur Traditio simul objective et active, seu, sensu complexo.

Traditio, ratione objecti, potest esse *sacra* aut *profana*, prout illud objectum pertinet vel non ad religionem. De sola Traditione sacra hic agendum est. Objectum autem Traditionis sacrae spectatur, vel quatenus in Scripturis sacris contentum, et per eas servatum atque transmissum, et tunc non constituit fontem cognitionis theologicae a Scripturis distinctum; vel quatenus extra Scripturas sacras contentum, serva-

tum atque transmissum, et constituit locum theologicum a Scriptura distinctum; quem nunc perpendendum habemus, et sic definimus: *Doctrina aut institutio ad religionem pertinens, et ad nos usque transmissa medio a Scriptura sacra diverso.*

Non dicimus: doctrina aut institutio quae non fuit in Scripturis consignata; nam etiam dogmata et instituta quae in sacris Scripturis reperiuntur, non sunt extra Traditionem, prout condistinguitur a Scriptura sacra. Dogmata enim et instituta, sive sint sive non sint in Scripturis consignata, omnia magisterio Ecclesiae traditionali committuntur conservanda et transmittenda, ita ut eorum divina origo sola Traditione, independenter a Scripturis, sufficienter probetur. Attamen, nomine Traditionum, nonnunquam doctores et theologi propriissime intelligunt, dogmata et instituta quae a primo praecone aut instituyente non fuerunt scripta.

Traditio *sacra*, seu, cujus objectum ad religionem pertinet, multiplex distinguitur ratione auctoris: alia est divina, alia Apostolica simpliciter, alia ecclesiastica.

Traditio *divina* complectitur doctrinas, praecepta, instituta quae a Deo ipso immediate revelata sunt, quamvis in iis promulgandis intervenerit ministerium hominum legatione Dei revelantis fungentium. Cum autem in novo Testamento, non omnia Christus proprio ore docuerit aut instituerit, sed nonnulla per Apostolos, revelante et dictante sancto Spiritu, praedicata et statuta fuerint; hinc est quod Traditio divina, in Ecclesia Christi, alia dicatur pure *Dominica*, et

alia *Divino-Apostolica*; utriusque tamen par est auctoritas.

Traditio *Apostolica simpliciter* complectitur praecepta et instituta ab Apostolis profecta, non prout a Spiritu sancto inspiratis, sed prout ordinariis Ecclesiae rectoribus, ita ut non solummodo promulgatorum, sed legislatorum munere fungerentur.

Traditio *ecclesiastica* complectitur instituta quae, post tempora Apostolorum, a legitimis pastoribus jure prodierunt.

Traditio, sive Apostolica simpliciter, sive ecclesiastica, potest esse vel non esse *universalis*, secundum quod obtinet vel non in universam Ecclesiam; potest etiam esse vel non esse obligatoria; sic, v. g. celebratio Paschae tali tempore est disciplina obligatoria; dum usus aquae lustralis, quamvis universalis, non est obligatorius. Quoties autem Traditio est simul universalis et obligatoria, concluditur eam oriri, vel ab Apostolis, vel a suprema auctoritate ecclesiastica, puta: Romano Pontifice, aut concilio generali; soli enim Apostoli, aut suprema potestas ecclesiastica potuerunt sic omnes fideles obligare. Ad discernendum Traditionem Apostolicam ab ecclesiastica, critica historica utendum est. Judicatur autem Apostolica ubi, quousque memoria Christianorum pertingit, illa semper observata reperitur, neque origo posterior demonstrari aut rationabiliter colligi potest; secus, reputatur mere ecclesiastica.

Operae pretium est discernere Traditionem Apostolicam simpliciter aut ecclesiasticam, a Traditione divina. Illa discretio aliquando facilis est. Sic, certo judicatur divina, ea Traditio cujus objectum est

veritas credenda, v. g. Traditio de immaculato conceptu B. M. Virginis; aut est institutum quod non nisi Deum habere potest auctorem, v. g. sacramentum aliquod, vel praeceptum confitendi singulatim omnia peccata mortalia. Quod si ageretur de praeceptis aut institutis quae, ex sua intrinseca ratione, non petunt a solo Deo proficisci, consulendus erit sensus, vel, ubi extat, iudicium Ecclesiae.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

In quo circa Traditionis auctoritatem dissentiant novatores a Catholicis?

25. Resp. I. Novatores non negant divinas Traditiones, si existerent, eandem habituras esse auctoritatem ac Scripturas; sed, ex statuto sibi principio, juxta quod Scriptura est medium unicum quo usque ad nos conservata et propagata fuit revelatio christiana, ac proinde unica norma qua tuto valeat cognosci, statim concludunt non dari ullam Traditionem divinam, quae *ex se* nos ad credendum obliget.

Dicunt, itaque, nullam esse veritatem creditu necessariam quae in Scripturis non reperiatur; et ideo, quidquid ibidem non legitur, nec potest per illas probari, affirmant non esse articulum fidei necessarium ad salutem.

Confitentur, equidem, veritates in Scripturis contentas legi etiam posse extra Scripturam in variis monumentis; nec esse mirum, si Patres aliquando appellaverint ad doctrinam apud varias ecclesias receptam, quarum ecclesiarum fides documentis historicis comperta erat. Sed haec omnia vi demonstrativa

destituuntur, et non inserviunt nisi ad confirmandam fidem ex solis Scripturis tuto hauriendam.

Nonnulli tamen, inter recentiores Protestantes, hunc errorem temperarunt, concedendo, praeter Traditiones quas *inhaesivas* vocant, eo quod eadem omnia dogmata referant ac Scriptura, et de quibus modo, alias dari alicujus etiam auctoritatis, et quae dicuntur *declarativae*. Sunt enim in Scripturis doctrinae, quae brevius et obscurius continentur, et idcirco clarius et distinctius explicari indigent. Hae igitur Traditiones vocantur ab illis *declarativae*; talis est, v. g. doctrina de Eucharistia parvulis non necessaria, quae subobscurè innuitur verbis Christi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis* (Joan., VI, 54), sed quae sine ambagibus per monumenta Traditionis innotescit. Hujusmodi Traditio, ut videre est, utilitate non caret; siquidem inservit ad Scripturam melius intelligendam; attamen, nisi habeat aliquod in Scripturis fundamentum, nos ad credendum non obligat.

26. II. Antithesis catholica tota continetur in Concilii Tridentini decreto *De Scripturis canonicis*, Sess. IV; ibi enim de revelatione christiana asserit:

« Hanc veritatem et disciplinam contineri in Libris scriptis, et, sine scripto, Traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. » Unde, juxta Trid., sunt doctrinae in Scripturis non contentae, quas Apostoli ex Christi ore acceperunt, aut ex dictamine sancti Spiritus hauserunt. Concilium itaque: « omnes Libros, tam veteris quam novi Testamenti,...

« necnon Traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores  
« pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a  
« Spiritu sancto dictatas, et continua successione in  
« Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu  
« ac reverentia suscipit ac veneratur ». Ergo adest  
in Ecclesia continua successio custodum, veritates  
divinas in Scripturis non contentas inviolabiliter  
servantium.

Nec satis : ipsimet Ecclesiae concrediti sunt Libri  
sacri; siquidem conc. Trid. Sess. IV, decreto de  
editione Librorum sacrorum, decernit ad Ecclesiam  
pertinere « judicare de vero sensu et interpretatione  
« Scripturarum sanctarum ». Ergo, omnis veritatis  
revelatae, sive in Scripturis exprimitur sive non,  
Ecclesia est custos fidelissima; ergo, extra Scripturam  
datur aliquod medium, auctoritative conservans et  
transmittens omnem veritatem institutionemque a  
Deo revelatam, seu, integrum revelationis christianae  
depositum.

27. Haec est Traditio, secundum essentialem et  
perfectum conceptum considerata, quae proinde merito  
definiri potest cum Theologia Tolosana : *Doctrina  
revelata, per Ecclesiam catholicam infallibiliter  
illam docentem et discentem, eadem perpetuo et  
ubique fluens.*

Dicitur 1° *doctrina revelata* qualiscumque, sive in  
Scripturis sacris contineatur, sive non.

Dicitur 2° *per Ecclesiam catholicam* : en medium  
servandae et transmittendae veritatis.

Dicitur 3° *infallibiliter fluens* : en principium vi  
cujus veritas catholica tuto reperitur apud Ecclesiam ;  
ex quo fit Traditionem esse divinam, et ratione objecti,

et ratione societatis apud quam viget, et ratione  
auxilii eam efficaciter ab omni erroris admixtione  
praeservantis.

Dicitur 4° *per Ecclesiam docentem et discentem* :  
en modus quo in Ecclesia verbum Dei successivis gene-  
rationibus inviolabiliter traditur; scilicet : pastores  
docent, fideles discunt; providetque Deus ut semper  
pastores verum doceant, et nunquam desint fideles  
dicta credentes; cum Ecclesia sit indefectibiliter catho-  
lica. Inter fideles discentes, aliqui munus pastorale  
vice sua suscipiunt, et fidei depositum transmittunt  
sequentibus generationibus; ordo ille perseverare de-  
bet usque ad saeculi consummationem. Traditio itaque  
indesinenter discurrit tanquam verbum vivens, quod  
continuo profertur, auditur, creditur, retinetur et aliis  
transmittitur. Est ergo verbum illud in statu nobiliori  
ac in Scripturis, quae illud veluti mortuum habent.

Dicitur 5° *eadem perpetuo et ubique fluens*. Tra-  
ditio enim divina omnia tempora et loca implet, simul  
ac religio ipsa cum qua identificatur; et hac perpe-  
tuitate ac universalitate distinguitur ab aliis traditio-  
nibus originem humanam habentibus, quae, utpote  
Ecclesiae non essentielles, possunt aut cessare, aut  
non ad omnes fideles pervenire.

### QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum admittenda sit Traditio divina, veluti medium  
transmittendi religionem revelatam, a Scriptura omnino  
diversum ?

28. Resp. Videri potest quod non.

Etenim, 1° Scripturae docent nihil addendum esse

Dei verbo. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.* (Deut., IV, 2.) — *Si quis apposuerit ad hoc, apponet Deus super illum plagas.* (Apoc., XXII, 18, 19.) — *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* (Gal., I, 8).

2° Praeterea, sufficere Scripturas, adstrui posse videtur ex Joanne (xx, 31) : *Haec scripta sunt ut credatis... et ut credentes vitam habeatis*; et ex Paulo (II Tim., III, 16, 17) : *Omnis Scriptura utilis est... ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

3° Praeterea, in novo Testamento reprehenduntur traditiones quas Judaei gloriabantur se accepisse a Moyse et Prophetis. Ergo, pari jure, reprehendendae sunt traditiones, quae dicuntur a Christo per Apostolos acceptae.

4° Praeterea, Patres saepe videntur opponere Scripturas Traditionibus; — aut etiam argumentum Traditionis veluti insufficiens remove, ut soli Scripturae insistant; — aut etiam declarare, id omne negandum esse quod in Scripturis non habetur; — aut etiam magnificare et extollere plenitudinem ac perfectionem Scripturarum, eo quod omnia necessaria contineant.

5° Praeterea, Christus invigilare debuit ne sua doctrina, labentibus saeculis, adulteraretur. Atqui multo facilius est hanc in Libris inspiratis consignatam servari, quam si, extra Libros inspiratos, mediis et instrumentis humanis transmittenda committatur.

29. *Sed contra dico : Christus ordinavit, ut sua religio integra servaretur et transmitteretur extra Libros inspiratos, via Traditionis divinae.*

Prob. 1° *oeconomia a Christo instituta.*

Etenim, uti probavimus in tractatu praecedente (n. 123 et seq.), Christus dedit Ecclesiae potestatem magisterii, seu, jus docendi auctoritative omnes veritates revelatas; voluit illud jus permanere usque ad consummationem saeculi in Apostolorum successoribus; et, insuper, promisit assistentiam efficacem, vi cujus, et Ecclesia docens ab omni errore in docendo praeservetur immunis, et Ecclesia discens docenti fideliter adhaereat; ita ut, ex pastoribus et fidelibus coalescat Ecclesia indeficienter durans et catholica. Atqui, haec omnia sunt ipsissima Traditio quam supra n. 27 definivimus. Ergo, extra Libros inspiratos, per Traditionem divinam, integra servatur et transmittitur revelatio christiana.

Prob. 2° *ex Patribus priorum saeculorum.*

Est enim factum historicum inconcussum Patres priorum saeculorum, Traditionem divinam, sensu a nobis explicato, agnovisse. Atquid illud factum invicte probat Traditionis divinae existentiam et auctoritatem.

*Constat major*, non tantum omnibus generatim testimoniis jam allatis ad Ecclesiae magisterium adstruendum, sed et quam pluribus aliis, Traditionem exhibentibus veluti fontem cognitionis a sacra Scriptura prorsus distinctum. Sequentia seligemus; non enim omnia possunt referri.

1° S. Irenaeus (De haeres., lib. 3, c. 4) : « Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositum dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sint veritatis.... Oportet quae sunt Ecclesiae cum summa diligentia deligere, et appre-

« hendere veritatis Traditionem.... Quid enim, si  
« neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis,  
« nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam  
« tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? Cui  
« ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum  
« eorum, qui in Christum credunt sine charta et atra-  
« mento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus  
« suis salutem, et veterem Traditionem diligenter  
« custodientes. » Ibi S. Irenaeus clare affirmat, Tra-  
ditionem a Scriptura distingui, et ita quidem, ut,  
etiamsi Scriptura deficeret, nobis tuto transmitteret  
*omnia quae sint veritatis.*

Origenes (De Princ., l. 1, n. 2): « Servetur eccle-  
« siastica praedicatio, per successionis ordinem ab  
« Apostolis tradita, et usque ad praesens in Ecclesia  
« permanens. Illa sola credenda est veritas, quae in  
« nullo ab Ecclesiastica et Apostolica discordat Tra-  
« ditione. » Unde, juxta Origenem, Traditio est norma  
cujuscumque veritatis credendae; et haec Traditio,  
non per Libros sacros, sed per ecclesiasticam praedi-  
cationem, ab Apostolis ortam et indesinenter per-  
manentem, dignoscitur.

S. Basilius (De Spiritu sancto, c. 27, n. 66): « Ex  
« asservatis dogmatibus, alia quidem habemus e  
« doctrina Scripto prodita, alia vero in mysterio tra-  
« dita recipimus ex Traditione Apostolica, quorum  
« utraque vim eandem habent. »

S. Hieronymus (Dial. adv. Lucif., c. 4): « Etiam si  
« Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in  
« hanc partem consensus, instar praecepti, obtineret. »  
Ergo non ex sola Scriptura haurienda est universa  
revelatio christiana, ut dicunt novatores.

S. Epiphanius (Haeres. 55) declarat et ipse « Ex  
« Scriptura omnia peti non posse, et idcirco alia  
« scripto, Traditione alia Apostolos reliquisse. »

S. Chrysostomus, explicans verba S. Pauli (2 Thess.  
II, 14) de Traditionibus, sic concludit (Hom. 4):  
« Hinc patet, quod non omnia per Epistolas tradide-  
« rint (Apostoli), sed multa etiam sine litteris; eadem  
« vero fide digna sunt, tam illa quam ista. »

Hinc, juxta Patres, sunt quae sola Traditione tene-  
mus, et pro certis habenda sunt. Ergo a fortiori, veri-  
tates in Scripturis contentae et quas Traditio ab eis  
mutuata est, per eam tuto transmittuntur. Patres igitur  
priorum saeculorum credunt Traditionem esse me-  
dium tutum servandi ac propagandi integram revela-  
tionem. Ergo constat major.

*Constat minor*, id est: ex hac priorum Patrum  
persuasionem unanimi, jure concluditur divinae Tradi-  
tionis auctoritas.

Nam, 1<sup>o</sup> Quae sit Ecclesiae norma credendi funda-  
mentalis, melius cognosci nequit quam ex praecipuis  
ejusdem rectoribus ac doctoribus. Et aliunde, quis sibi  
persuadebit novatores saeculi XVI, melius cognovisse  
medium a Christo institutum suae religionis servandae  
et propagandae, ac Patres qui ab initio Ecclesiae flo-  
ruerunt, et scientia atque sanctitate, zeloque veritatis  
tantopere fuere commendabiles?

2<sup>o</sup> In sententia novatorum, dicendum esset Eccle-  
siam vix ortam et quasi adhuc in incunabulis, jam a  
suo instituto defecisse. Atqui illud est Christo injurio-  
sum, et probatae Ecclesiae indefectibilitati repugnat,  
Prob. 3<sup>o</sup> *ratione theologica.*

Ad hoc enim ut per solam Scripturam, independen-

ter ab Ecclesiae magisterio, tuto et integre revelatio christiana transmitteretur, duo forent necessaria : 1° nullam esse veritatem revelatam quae in Scripturis non contineatur ; 2° veritates revelatas ita clare in Scripturis contineri, ut unusquisque eas, independenter a magisterio Ecclesiae, sufficienter intelligere valeat. Atqui neutrum dici potest.

1° *Immerito asseritur omnes veritates revelatas in Scripturis contineri.*

Haec enim assertio quod « omnis veritas revelata in « Scripturis contineatur » nec argumento a priori, nec argumento a posteriori demonstratur.

1° Non argumento a priori. Quonam enim ?

a) An ex rei natura ? — At natura rei postulat simpliciter, ut veritas credenda nobis sufficienter notificetur. Atqui haec notificatio fieri potest alia via ac Scriptis inspiratis ; secus, antequam fuissent Scripturae, nulla fuisset fides.

b) An ex lege ordinaria Providentiae ? — Sed ante Moysen, quot credebantur dogmata sine Libris sacris ? Quinimo, apud Hebraeos, multa tenebantur non scripta ; v. g. remedium peccati originalis pro foeminis, idem remedium pro masculis ante diem nativitatis octavum decedentibus. Item, antequam Apostoli scriberent, Christiani veritates sibi ore praedicatas toto corde profitebantur.

c) An ex aliquo Christi mandato ? — Sed nullibi legitur Christum Apostolis praecepisse ut scriberent, sed tantum ut docerent ; multo minus praecepit ut scriberent *omnia*. E contra, B. Paulus satis clare supponit nihil tale jussisse Christum ; dum, scilicet, Thessalonicenses admonet, ut teneant Traditiones quas

didicerant, *sive per sermonem, sive per epistolam* (2 Thess. II. 14), et dum Timotheo injungit, ut audita a se commendet *fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (2 Tim. II, 2).

d) An ex ipso facto quod verbum Dei fuerit scriptum ? — Sed solum factum scribendi revelata, secum non infert necessitatem scribendi *omnia revelata*. Deus enim potuit Scriptoribus sacris inspirare ut quaedam et non alia scriberent.

Ergo assertum non probatur argumento a priori.

2° Sed neque argumento a posteriori. Ad hoc enim necessarium esset percurrere singula dogmata, quae integram revelationem christianam constituunt, et ostendere ea de facto in Scripturis contineri. At, nedum id novatores prestiterint, plura e contrario ab ipsis credita reperiuntur, quae ex Scripturis erui nequaquam possunt ; v. g. canon Librorum inspiratorum, validitas baptismi ab haereticis collati, celebrandam esse diem Dominicam loco Sabbati, non amplius urgere praeceptum concilii Hyerosolymitani, quod ipsa Scriptura refert, abstinendi a sanguine et suffocato.

Ergo immerito asseritur omnia dogmata reperiri in Scripturis.

2° *Immerito asseritur omnia ita clare contineri in Scriptura, ut unusquisque ea ibidem sufficienter, absque Ecclesiae magisterio, intelligere valeat.*

Id superabundanter probatum invenies in Tractatu de Ecclesia, ubi de institutione magisterii infallibilis (n. 133).

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 28.

30. *Ad 1.* In citatis textibus, prohibetur additio quae verbum Dei adulteraret, sive adjiciendo etiam verum, sed tanquam a Deo dictum, quod procederet ab homine; sive contrarium aliquid proponendo. Insuper, verbum *evangelizavimus*, in epistola ad Galatas, refertur ad ea omnia quae Apostolus, sive scripto, sive viva voce, annuntiaverat; et ideo textus non est ad rem.

31. *Ad 2.* Scriptura, non obstante necessitate Traditionis, dici potest sufficiens duplici sensu: 1° quia omnia refert necessaria ut divinitas Christi manifesta fiat, et ut determinemur ad illi adhaerendum; et hoc intendit S. Joannes (xx, 31); 2° quia omnia nobis subministrat documenta et motiva, quibus ad proficiendum in bonis operibus incitemur et adjuvemur; et sic intelligendus est B. Paulus (2 Tim. iii, 17, 17).

32. *Ad 3.* Traditiones, quas Judaei gloriabantur se accepisse a Moyse et Prophetis, et Christo opponebant, non erant divinae, sed humanae, inanes ac perniciosae.

33. *Ad 4.* Patres frequenter opponunt Scripturas, non divinis Traditionibus, sed, vel philosophorum vanis excogitationibus, uti Tertullianus (de Praescript. c. 7.), et S. Greg. Naz. (Orat. 27.); vel traditionibus aut scriptis apocryphis, uti S. Irenaeus (L. 3. c. 2.). Praeterea, aliquando argumento Traditionis praeferunt Scripturas, ut melius confundantur adversarii, qui dictitabant se non nisi Scripturas agnoscere. Demum, si perfectionem et plenitudinem Scripturarum extollant, intendunt eas sufficere ad certa quaedam dogmata comprobanda, vel omnia continere mediate, in quantum et ipsae Traditiones in eis commendantur; sed

illam a Traditione ac Ecclesiae magisterio non sejungunt.

34. *Ad 5.* Multo facilius et securius servatur christiana revelatio per Traditionem, supposito magisterio infallibili Ecclesiae, quam per solam Scripturam fallibilis rationis individuae sensu interpretandam. Scriptura enim, non in nudo verborum cortice, sed in vero verborum sensu dogmata conservat; qui sensus, absque Traditionis auxilio, saepe non apprehenditur. Attamen, haud negamus singulari Dei beneficio datos Ecclesiae fuisse Libros inspiratos, quorum ope magisterium facilius exercetur, quamvis iis absolute non indigeat.

#### QUESTIO IV<sup>a</sup>

Quibus mediis Ecclesiae fides authentice declaretur?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.* n. 342...375. — Franzelin : *de div. Trad.* sect. 2. p. 127...182).

35. *Resp.* Tria numerantur : 1° symbola fidei, 2° sententiae doctrinales, 3° praxis Ecclesiarum.

##### I. De fidei symbolis.

Symbolum fidei est summa brevis praecipuorum doctrinae revelatae punctorum, quae in Ecclesia catholica explicite creduntur ac docentur.

Triplex distinguitur symbolum fidei, scilicet : symbolum Apostolorum, symbolum Nicaenum, seu Constantinopolitanum, et symbolum S. Athanasii. Primum habet auctoritatem ex Apostolis qui hunc, aut confecerunt, aut approbaverunt; secundum, ex Conciliis generalibus quorum sunt opus genuinum; tertium, ex acceptance et usu Ecclesiae.



His addi potest professio fidei Pii IV, quam episcopi in sua consecratione emittere tenentur.

## II. De sententiis doctrinalibus

1° Data definitione Ecclesiae docentis, jam certo compertum est quid sit credendum. Sed non adest sententia doctrinalis ad assensum obligans, nisi dirigatur ad universam Ecclesiam, cum obligatione interiorius ac firmiter obsequendi. Unde, definitiones a conciliis particularibus conditae, non sunt norma credendi, nisi ab universa Ecclesia, aut a Romano Pontifice sancitae fuerint, uti revera fuerunt decreta concilii Arausicani II contra Pelagianos et Semi-Pelagianos. Antea autem, subministrant argumentum probabilissimum, cui debetur interior reverentia, sed nondum assensus definitivus et irrefragabilis.

2° Etiam dato iudicio doctrinali irrefragabili, obligatio credendi urget equidem quoad substantiam decreti, sed non quoad accidentia.

Porro ad substantiam decreti pertinet id omne et solum quod proprie definire intendit superior. Accidentia autem ea sunt quae decreto interseruntur, sed non cadunt sub intentione definientis tanquam veritates ex obligatione credendae : talia sunt motiva allegata, variae explicationes doctrinae, solutiones objectionum, et quaestiones incidentes; quae tamen magni pretii reputanda sunt, nec sunt de facili contemnenda et impugnanda.

Substantia iudicii dignoscitur : 1° ex verbis ipsis; quando formaliter aut aequivalenter obligationem credendi intimant, v. g. si contrarium notetur ut haereticum vel erroneum; si aliter sentientibus dicatur anathema, aut infligatur poena excommunicacionis;

tionis; vel si dicatur talem doctrinam esse revelatam aut firmiter tenendam; 2° ex doctorum interpretatione, si ab universa Ecclesia approbetur. Quotiescumque vero dubitatur an talis propositio pertineat ad substantiam iudicii, haec propositio non censetur definita.

## III. De ecclesiarum praxi.

Per hanc praxim intelligitur liturgia, sub quo nomine designatur : 1° ritus cultus publici, praesertim in Sacrificio; 2° ritus adhibiti in publica et solemnibus sacramentorum administratione; 3° orationes, publica officia, festa, et alia ejusmodi.

Liturgia exinde suam doctrinalem auctoritatem mutuatur, quod vocem ac testimonium exhibeat eorum qui, aut ritus sacros exsequuntur, aut orationes, seu verba liturgica recitant, nempe : summorum Pontificum, episcoporum, presbyterorum, plebis christianae, ac proinde totius Ecclesiae, ubi universa Ecclesia hos ritus usurpat vel approbat.

Dantur autem regulae sequentes :

1° Omnium, sive Orientalium, sive Occidentalium liturgiarum consensus, quoad existentiam, materiam, formam, ministros Sacrificii et Sacramentorum, non nisi a divina ordinatione provenit, et est argumentum invictum.

2° Oratio, festum, officium, actus religionis in tota Ecclesia vicens, et aliquam veritatem revelatam supponens, est hujusce veritatis probatio certa; secus, error redundaret in Ecclesiam. Sic, v. g., doxologia comprobatur Trinitatem; adoratio Eucharistiae, praesentiam realem; exorcismi supra baptizandos, peccatum originale; preces pro defunctis, Purgatorium;